



194



210/53

27 - 56

VIRO OPTIMO

DOCTORI ABRAHAMO
SVALBIO GORLICENSI: OPPOLIENSIS

ET RATIBORIENSIS DVCATVVM ORDINA-
rio Medico, nuptias celebranti cum honestissima
faemina MARIA APPELIA, Nobiliff.

viri Dn. MELCHIORIS SCHVBAR-
TI, Consiliarij Casarei, relicta
vidua,

BENE PRECANTVR AMICI.



GORLICII

Excudebat Ambrosius Fritsch,

Anno

M. D. X C.

IDN 9046072

AD CLARISS. ET EXCEL-
lentiss. virum, Dn. ABRAHAMVM SVAL-
BIVM, artis medicæ Doctorem, & Physicum
Ducatum Illustr. OPPAVIENSIS
& RATIBOR: &c.

Amor coniugum malorum remedium:

Omnia vincit AMOR veniens è pectore sacro:

Autumnos, hyemes, omnia vincit AMOR.

Omnia vincit AMOR, fulmen, ventosq; sonantes,

Et glaciem, & pluuias, Omnia vincit AMOR.

Omnia vincit AMOR, rabiem, vulgiq; furorem,

Atrocesq; minas, Omnia vincit AMOR.

Omnia vincit AMOR, venalis munera linguæ,

Fraudes atq; dolos, Omnia vincit AMOR.

Omnia vincit AMOR mala: Tu quoq; SVALBIA, cuncta

Hoc duce, GENS, si vis vincere, vince mala.

LAVRENTIVS LVDOVICVS

Leobergeni, ὁ ἀριστήσας τοῖς δειπνήσοντι.

M. D. C. C.

A D C L. V I R V M D N.

A B R A H A M V M S V A L B I V M

Phil. & Medic. Doctorem: & M A R I A M

A P P E L I A M, νεογάμε,

Epigramma.

Quis fato dubitet duorum amantum
Jungi pectora? quis viro maritam
Cæca sorte dari putet? nec esse
Id cura superis? suo Rebecca
Quam non viderat antè sic Isaco
Externa urbe vocata copulatur:
Sic uni Sara destinata, septem
Extinctis alijs viris, Tobia est,
Fatorum auspicijs: petit a multis
Sic nulli potuit dari Maria
Quàm vir clare tibi, nec antè nota
ac ne visa quidem, unus es repertus
hac dignus vidua: beatus ergò
Fati qui sequeris viam vocantis:
Tuq; ò Sponsa virum hunc adeptam gaudes.
Quem summa gradus eruditionis
Et virtutis honos, & ars medendi

A ij

in

*in sublime tulit, virisq; carum
fecit principibus, beata sacros
fatorum pariter secuta ductus.
Ergò fata precor benigna vestro
Contingant thalamo, Maria amari
Nil admisceat huic amori, & omnis
hinc luctus procul & dolor recedant:
Adsit mutua pax, & una bino
Mens in corpore sit, fidesq;, & omne
Vitam quod faciat beatiorē.*

Tobias Fischer Suidn.
Med, Doctor.

ALIVD.

Sis Deus & Felix, & fausto numine firma,
Quæ sunt mandato fœdera facta tuo:
Sic sponsam. sociamq; thori seruelq; regalq;
Concordes faciant vt tibi vota patri,
Pace diu populiq; tui, patriæq; fruantur,
Et crescat sobole læta frequente domus.

*M. Iohannes Henricus Eccl.
Suidn. ad S. Mariam pastor.*

Qu

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ.

*Quæ nomen genti dedit, hæc insignia botro,
Sponse, sedens viridi præstat hirundo tibi.
Botrus at autumn, ceu nuncia veris hirundo est,
Colligit ille satas & metit huius opes.
Tu quoq; sub vernum cui nubit Hamadryas ortum,
Poma sub Arcturum, sponse, nouella leges.*

Seb. Hoffman,

CLARISS. DN. D. ABRA
HAMO SCHVVALBIO OPOLIENSIS
& Ratiboriensis Ducatum Medico Phy-
sico, Sponso, amoris ergò.

G *Ratia debetur semper benè digna merenti,
Digna q; virtutis premia quisq; capit.
Tu, quia Slesiaca benè de tellure mereris,
Inde etiam SPONSAM, premia digna capis.
SPONSAM, haud egregijs cessuram dotibus ulli,
Seu genere & forma siue pudicitia.
Perge modò ceu capisti tibi gratia maior
Tunc dabitur, maior si tamen esse potest.*

Ioach. Smid, faciebat.

A 3

Ad

AD D. ABRAH SCHVALBIVM
Sponsum, de cognomine Sponsæ
sux Appeliæ.

Sponsa tibi portat, Sualbi, cognomine poma:
Illi te rursus reddere poma decet.
Reddere poma decet, Sualbi, sed qualibus olim
Pomis Hesperidum nobilis hortus erat.
Qualibus ut victam sese Schœneia virgo
Agnovit, soli se dedit Hippomeni.
Qualia, cum tenera crescant lanugine tecta
Carpere ab arboribus pulcra Amaryllis amat.
Quale fuit pomum, quod amator Acontius, ardens
Cydippen, iecit virginis in gremium.
Qua si poma tua sponsa donaris Abrame:
Crede mihi nullus carior alter erit.
Sed qua sint quæris? non audeo prodere sacra,
Et doctos verbo vel monuisse sat est.
Mysticus est sensus, sunt mystica poma poëtis,
Sit Mystes quisquis carpere poma cupit.
Sed tu da veniam, præter si Musa decorum,
Occinuit teneris auribus ista tuis.

M. Mart. Mylius
Gorlic.

CLA.

CLARISSIMO, PRÆ-
STANTISSIMOQUE VIRO DN.
DOCTORI ABRAHAMO SCHVVALMIO, Me-
dico, affini & amico.

Quid hoc noui, quid est? volant HIRV-
DINES

Maturius Zephyri quàm & HORÆ postulant.

Quæq; olim in urbibus tignis appendere

Murisq; consuevere amicè nidulos,

Nunc arbores superuolant & arborum

Letæ in venustis nidulantur POMVLIS,

Ibi ova ponunt incubantq; & pullulant

Atq; omnia hæc POMONÆ ope atq; gratia.

Quid hoc noui, quid sit perite dicito.

Quid sit? nisi ocyus nunc cuncta currere

Atq; aurei properare ad ortum seculi.

Hæc sunt dierum & temporis compenida

Contracta in arctum commodis fidelium.

Fatis ob id nunc præcoquuntur omnia

Curruntq; temporius Calendæ & aduolant

Struuntq; tecta in pomulis HIRVNDINES.

Quin plus liquoris nectarisq; in hortulo est

Viri-

Viridiq; in arbore & venustis POMVLIS,
Quàm in aridis tignis & aspero luto.
Væ seculo, ver transferunt HIRVNDINES
Nunc hortulorum in arbores, in POMVLA.
Quis ver feret, quis post tigillis nuncium?
Vbi est HIRVNDINO ibi est amica mansio,
Ver, pulchraq; estas copia & sodalitas.
Horum nihil videtur absq; HIRVNDINE.
Sub tegulis periclitantur niduli
Malorum & impetu cadunt HIRVNDINES.
Sunt tutiora cuncta in horti POMVLIS.
POMONA nidum HIRVNDINIS quem Po-

MVLO

Struxit super, custodi ab imbrium manu,
Ventis tumultuantibus, rubigine:
Sic procreare posteris HIRVNDINES
pullas licebit hortulisq; POMVLA.
Docta est HIRVNDINO hac nostra in arte Apollinis
Qua nullo in orbe nunc volat præstantior,
Non deserit nidum hac, nec in bruma avolat.

Michael Iustus properante Calamo
neq; admodum sereno animo ludebat
Sittavia. Anno 1590. 3. Febr.

Fata

A L I V D.

*Fata regunt tædas & vincla iugalia, fatis
 Nil prius esse potest, posteriusq; nihil.
 Fata thori sociam monstrant, tempusq; locumq;
 Connubij mira dexteritate notant.
 Ergò Slesiaca sponsam de gente quod optas,
 Sic fuit in fatis, fata, SVÄLBE, ferunt.
 Vincere fata nihil potuit, non turba procorum,
 Invida, non vis, non garrula lingua, dolus.
 Fata vocant sponsum patria te à sede profectum,
 Elysijs, fato, quæ venit, uxor adest.
 Sint ergò non dura nimis fata ista iugali
 Pacto, cum socia quod tibi inire datur:
 Sint faciles habitura vias fata: aspera quæuis
 Auertant: & sic omnia puncta feres.*

Melchior Steinberger Gorl.

CLARISS. VIRO D. ABRA-
 HAMO SCHVVALBIO, Medicinæ Doctori, &
 honestissimæ matronæ MARIAE POMARIAE, NO-
 bilis ac strenui quondam viri D. MELCHIORIS
 SCHVBARTI relictæ viduæ,
 Sponsis nouis, S.

B

Horrida

Horrida saevit hyems, tempestate s̄q̄, sonora:

*Sed quid HIRVND O facit nunc? MARIA alta
petit.*

Ut, quibus egressa est, placidè requiescat in undis,

Aeterni donec tempora veris eant:

Evoleat ipsa quibus circum POMARIA ABRAHAE,

Aucta q̄ prole nova cantet amæna DEO.

EVLALIA CVI LVCE sacra benedicere fas sit

Interea, atq̄ Ve thoro fVnDere Vota noVo.

Matthæus Frobenius, ciuis
Gorlicensis.

VOTVM.

Qui caput ingenū ingenuas meditando pro artes

Extulit, ingenua clarus in arte volat:

Mille per ora virūm volitat celeberrimus adfert:

Et decus & nomen dulce suæ patriæ.

Mente salutiferas herbas tenet, atq̄ nocentes

Separat ingenij dexteritate sui:

Gemmarum novit vires, & triste venenum

Pœonia felix pellere callet ope: (bra

Et medicas adhibere manus: Languentia mem-

Refficit optatus: tollit & arte malum.

Nunc

Nunc post exhaustos varios, & mille labores:
Legitimi thalami limen adire parat,
Limen adire parat castum, Sociamq; iugalis
Solamen vitæ iungit amore sibi.
Eius ad inceptum sacrato numine adesto
Christe piùm & nutu fœdera sancta fove
Tuq; adeo Sponsis clementes suffice mentes
Vt pius & concors sit sine felle thorus:

Georgius Hauffius.

A L I V D.

Mos erat antiquis, subituris fœdera lecti
Cœlicolum templis munera ferre sacra.
Ipse pater superûm, casto DEVS equus amoris
Fautor erat, thalami vincula pace ligans.
Victima cui magno pompæ data cessit honore:
Victima sed pura, sed sine felle tamen.
Sic diuûm incensa Panchæis mercibus arca,
Prato replebant undiq; odore locum
Thuris odor, mentem, fidumq; notabat amorem,
Virtutumq; decus, queis patet æthra via.
Hostia iam in flammis diuis iugulata sacratas
Atq; thori, atq; DEI signa fauentis erant.
Sic quoq; cum petimus socialis vincula vitæ
In partes DEVS, & fœdera nostra venit.

ij B

Ipse

*Ipsae sacras nobis Sponsam commendat ad aras
Filius est ductor : fomes amoris , Amor.
Huic etiam nostris adolefcunt ignibus ara :
Nempe fide & fusa supplice corde prece.
Sed nisi felle carens atro, sit victima pura
Gratia abest sacris, coniugibusq; nouis.
Spirat amor grauius quò purior : athera tranat :
Tranat, & auxilium sentit adesse DEI.
c Casta DEVS mens est, & casti fœderis autor :
Casta placent illi : casta fer, ipse places.
Qualiter in thalami leges SARA esse TOBIAE
Scribitur, à septem Sponsa petita viris.
Non polluta sibi lecti spectacula poscit :
Testis Olophernes, Sodomaq; igne cadens.
Bina ergo nexu cùm corpora iunxerit uno
Cœles amor, par est debita ferre sacra.
Victima sit sine felle suo, sit criminis exors :
Spiret ut è casto gratior aura thoro.
Ac veluti Pelèi tædas ornasse iugales
Certatimq; canunt dona tulisse DEOS.
Sic Sponsis Astræa, decus : Sapientia, honores :
Splendorem VIRTUS detq; feratq; suum,
Hymen & æterni se in vincula soluat amoris :
Pace thorus vigeat, prole frequente domus.
Dira absint lites, odijsq; alimenta profanis :
Nec thalamus, calamus, nec sit amaror amor.*

Offi-

Officijs, certetq̄ fide cum Turture Sponsus:

Sponsaq̄ sit cornix casto in amore parens.

Fam quoniam digitis thalamo sacer annulus haeret:

Sit mens, gemma: aurum, gratia: forma, fides,

Nicolaus Theodorus Gorlicius,

CONSIDERATIO

Nominum, & cognominum Domini D. Abrahami Sual-
bii Sponsi, ac Honestissimæ Matronæ MARIAE AP-
PELIAE Sponsæ, conuenientiam illorum
denotans.

V Ere nouo recipit vitam, & modulatur Hirundo
Dulce melos, nidum construit arte sibi.

Veris, ut Autumni sunt commoda plurima, Veris

Tu Sponse, Autumni dona tibi illa dabit.

Mortis eras patiens SVALBI multa agmina sanans

Floribus, ac herbis, quæ tibi vere virent.

Vt sobolem educas iam nidum quæris in vrbe

SVIDNICIA, Doctos quæ colit, atq; fouet.

Sufficiet sua Pomatibi POMARIA pectus,

Atq; tuos oculos, quæ recreare valent.

Sic rediuius eris, latus cantabis, HIRVNDINO,

Cum feret amplexus Chara MARIA tuos.

Multa MARIA quidem tibi suppeditabit amara,

Sæpe thoro veluti sunt mala iuncta pio.

Sufficiet tamen illa tibi POMARIA fructus

Econtra dulces ceu bona mixta malis.

Pulchros producet natos, diceris ABRAHAM

Unde Pater, cui sunt pignora multa thori.

Sic ABRAM Genitor celsus diceris HIRVNDINO,

Vtile per quæ agris celsius orbe notat.

B ij

Cum

*Cum medicas adhibere manus contenderis agris
Celsus eris, summa sedulitate, fide.
Celsus eris, Clemens sua cum tibi premia Princeps,
Nobilitas, ciues munera magna dabunt.
Pignora celsus eris, tibi cum nascentur amoris,
Qua sine fine tuum Nomen ad astra vehent.
Sis medicus faelix, opibus sis diues honorum,
Blandum, & faecundum sit tibi coniugium.*

Veteri suo amico & percharo conciuſ
gratulationis loco à M. Paulo Igelio
conscripta.

F. C. X. C.

*Doctori Abrahamo Schualbio Fratri Germa-
no & vnico, tandem feliciter Sponſo.*

Fœdera coniugij pia te fancire videmus,
Et tandem nidum condere velle tibi.
Et velle vnanimem cum coniuge ducere vitam
Vt de te genitor efficiatur auus.
Coniugium Germane tibi quia contigit alto
Grator, & ex animo prospera quæq; precor,
Alter in alterius placido vt requiescat amore
Nec stygia in vestro sit furia vlla thoro.
In te permanet benedictio ab æthere, & alma
Pax, vestras mentes vnus & ardor agat.
O vtinam possim dulces tibi reddere tædas:
Sed defunt musis salq; leposq; meis.
Non secus ac pulcro mundo Sol aureus ingens,
Est decus, alto cum marmore tollit equos.
Sic decus est ingens, cum coniunx dedita diuæ
Virtutis studio est, nec pietate vacat.

ER

Est honor, ornatus, est res iucunda marito
 Fida thori confors, luxq; decusq; domus.
 Hæc generis spes est, hæc firma columna quietis
 Exercet miserum quando procella virum.
 Si morbi rabies sæuit, medicamina præst at
 Et quacunq; potest arte iuuare iuuat.
 Nam MYLIER fatis herba potens, quæ densa repellit
 Nepenthes mœstæ nubila tristitiæ.
 Lætitiæ hunc vino commiscet fida marita
 Dum dolor in nostris sensibus vllus inest.
 Protinus & curæ, sæuiq; abiere dolores.
 Hæc cum consilio tristia corda iuuat.
 Dic age num tantas virtutes esse sub herbis
 Omnibus agnôris, fida quot vxor habet.
 Ah quantum est auri cedat, cedatq; quod vsquam est
 Magnificum: FIDA CONIVGE NIL PRIVS EST. 33.

Distichon Chronologicum

Tempus & locum congressus nuptialis indicans.

CLara Dies Agab ILLVXI, qVa LV Ce sLLentl
 OppoLla Appello trInsat hlr VnDo thoro.

A L I V D.

LVMIne bls senIs febrVIS præCVrrIt ApoLLO
 AppoLla QppoLlo IVngItur eCCe VIro.

*Si natura nequit, carmina fundit
 amor.*

Bartholemaeus Sualb. Gorl.
 DOCTOR.

Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006923 3